



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 146. Æneæ Sylvii epistola de rerum statu illius temporis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

consilio obstiterat. Ceterum Henricus Sæcul. XV. A. C. 1454.  
antiqua pacis foedera cum Carolo VII  
Francorum Rege inita, & a Joanne Pa-  
tre suo paulo ante mortem redintegrata  
firmavit.

## §. CXLVI.

*Æneæ Sylvii Epistola de rerum statu  
illius temporis.*

Æneas Sylvius die quinta Julii Episto- Æn. Sylv. ep. 49. §. 58.  
lam scripsit, in qua sigillatim Princi-  
pum Christianorum res, quo statu eo tem-  
pore fuerint, enarrat. Nos præcipuos  
tantum delibabimus articulos, ex quibus  
illius ætatis ratio luculentius perspici  
possit. Data est hæc epistola ad Leo-  
nardum, qui Æneam instanter rogave-  
rat, ut omne studium, auctoritatemque  
impenderet ad sollicitanda Principum  
auxilia adversus Turcas. Æneas ad ea,  
quæ Leonardus de Italiæ rebus pariter per-  
scripserat, respondit; res, inquit, in Con-  
ventu Francofordiensi tractanda ingentis sane  
molis est; pax autem illa, quæ summis  
Pontificum, ac Cardinalium curis præci-  
pue vero vehementibus Simoneti Mona-  
chi hortationibus inter Italiæ Principes  
jam inchoata est, brevi plene perfici po-  
terit; hos enim Principes bellum sat diu-  
turnum fatigavit; hinc sibi persuasum  
habent, concordiam rebus suis esse sum-

*Hist. Eccles. Tom. XXVIII. Dd mo-*



Secul. XV. A C 1454. mopere necessariam. Ast Turcarum negotium, ne dicam perfectum, sed pene intactum est, nec Galliarum Rex atque Imperator satis prospiciunt, quid sua demum intersit, ut contra Turcas arma moveant; cum ille ab inimico adeo remoto nil sibi timendum existimet, Cæsar vero ad pacem potius, quam ad bellum inclinet.

## §. CXLVII.

*Exigua spes Sylvii iudicio de Francofordiensi conventu concipienda.*

**H**is præmissis Æneas Sylvius suas sic literas prosequitur: felix faustusque Francofordiensi congressus non a solis Germaniæ Principibus dependet, ad eundem pariter vocandi sunt Arragonum Rex, Genuenses, Florentini, Senenses, Lucenses, quin & ipse Franciscus Sfortia Comes, licet necdum Mediolanensi Ducatu inauguratus sit. Præter hos accerseri quoque debent Mutinæ Dux, Mantuæ, Montisferrati, & Saluciarum Marchiones; ad Reges vero Franciæ, Angliæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueviæ, Norvegiæ, & Scotiæ exarrentur literæ, ut & ipsi Legatos saltem suos ad comitia decernant: Equidem, subiungit Sylvius, adsunt Principes Germaniæ,